

& motum corporis, nullus concipitur contactus. Respondemus si anima est substantia DEo quodammodo similis, sequitur, quod voluntatis imperio sine contactu corpus suum movere possit. DEus enim sine contactu, suo omnipotenti imperio omnia movet.

§. XXIII.

Si dixeris: Materiale corpus animæ materiali figuram imprimere, & sic animam perciperere, quid in corpore fiat; animam quoque materialem posse corpus movere, & sic corpus facere quod præcipit anima. Respondemus: Cum corpus corpori figuram imprimit, eam imprimit, quæ corpus tangit. Sic sigillum ceræ imprimit figuram, quæ ceram tangit; Sed talis impressa figura non est cogitatio. Quando anima figuram percipit, plura percipit, quam figuram impressam. Ponamus nos videre domum similem domui, in qua habitavimus. Anima non solum percipit figuram domus jam obviam, sed cogitat etiam hanc domum similem esse alii, in qua habitavimus. Hoc non fieret, si animæ materiali figura imprimeretur. Addo animam materialem non posse esse consciam figuræ impressæ. Negamus quoque, animam materialem posse membris corporis imperare tot motuum directiones, ut in lineis rectis, curvis &c. sursum & deorsum abeant. Hæ directiones non nisi a substantia spiritali divinis potentiis prædita, prodire possunt.

§. XXIV.

Ex nostra hypothese cognoscitur possibile esse, DEum creasse mundum suæ voluntatis imperio. Qui enim advertit manus nostras sese movere ad imperium voluntatis nostræ, sine interveniente contactu